



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

TRACTATUS QUINTVS

DE VITIIS ET PECCATIS.

A Quæstione 71. Divi Thomæ, usque ad 90.

P R Æ F A T I O.



ON polliceor (AMICE LECTOR) tractationem facilem: vix enim altera (quamvis forsitan multi secus existiment) si materiam spectas, difficilius est. Enimvero quid umbrâ, tenebris, caligine obscurius? Quid ea re ignotius, si rem vocari liceat, cujus nullam speciem, formam, vel ideam, nedum in homine, vel Angelo, sed necin ipso idearum promptuario, & rerum archetypo, reperire est? Atqui & iis vitiis, quæ annotavi, tota constat peccati natura, iis partibus componitur fœdissimum monstrum. Scire admodum Propheta Iob, cum multa de peccati malitia, sub typo Behemot, præclare dixisset, ubi ad ejus vultum, quo natura designatur, pervenit, hujus fœditate territus, in medio hæsit, & figuris tantum acturus, exclamat: Quis revelabit faciem ejus, & in medium oris ejus quis intrabit? Portas vultus ejus quis aperiet? Id est, quis peccati naturam, detectâ larvâ, omnibus palam faciet? Quis medium, intimumque vastissimi oris, quod maximam mortalium partem absorbet, aut portas, & primos gradus, quibus consummanda malitiæ iter patet, investigabit? Pergit postea: Sub umbra dormit, protegunt umbrâ umbram ejus: neque enim umbra duntaxat dicendum est, lucisque privatio, sed non alium, quàm tenebras, parentem, non aliam prolem agnoscit, cum ab ignoratione veri originem ducat, & omnis peccans (ut Philosophus ait) sit ignorans, & error ac tenebræ peccatoribus concreata sint, ut dicitur Eccli. 11. Quid igitur mirum, si in tam densa caligine, iisque tenebris, peccati malitiam agrè dignosci posse dixerim? Puteus profundus peccatum est (inquit Gregorius) quo absorberi se Propheta timebat, cum dicebat: Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Vel, ut eo loco ait Augustinus, Magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ. Spero tamen (AMICE LECTOR) eam profunditatem me tutò aditurum, neque ea voragine, iisque vorticibus absorbendum, cum Angelicum Præceptorem ducem habeam, qui ut alter Iacob, lapidem puteo superimpositum amoveat, & in ea caligine lucem præferat. Opto plurimum, ut hujus monstri fœditate terreri discas, & peccatum pejus angue existimes, & ad ejus conspectum exhorrescas & procul fugias, huicque prudenti Spiritus Sancti consilio morem geras; Quasi à facie colubri fuge peccatum: Dentes Leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.